

www.e-rara.ch

**Commentaria In Acta Apostolorvm, Epistolas Canonicas Et
Apocalypsin**

**Lapide, Cornelius a
Antverpiæ, M. DC. XXVII**

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-143778>

Commentaria in apocalypsin S. Iohannis apostoli. Prologus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

COMMENTARIA

IN

APOCALYPSIN

S. IOHANNIS

APOSTOLI.

PROLOGVS.



PROPHETA & Euangelista veteris testamenti, ab Isaia inquam & Prophetis priscis, trāseo ad Prophetam & Euangelistam noui testamenti, ad S. Iohannē

dico, qui vnus extat in lege noua Propheta, non vmbrae veteris, sed lucis & veritatis Euangelicae, eritque Propheta vsque ad finem mundi. Vltima enim, sineque mundi ipse ex alta prophetiae specula eminens prauidit & praenuntiauit. Quinimodò S. Iohannem in fine mundi rediturum & prophetaturum, Doctores graues olim, & nonnulli hocce etiam saeculo opinati sunt. S. Hippolytus enim Episcopus & Martyr, qui ex Arabia deuotionis ergò, vt limina Apostolorum viseret, Romam veniens sub Scuero Imp. ob singularem doctrinam & sanctitatem à Callisto Papa detentus & creatus Episcopus Portuensis, multa praclare scripsit; ac inter alia Canonem temporis, qui etiamnum extat excisus in statua eius marmorea, insigni & ingenti, quae scriptorum eius merito illi erecta vultur in Bibliotheca Vaticana, ac tandem ab Vlpiano Iuris-consulto, aeri Christianorum hoste, capitis damnatus, gloriosum obiit martyrium anno Domini 229. Hippolytus, in qua, lib. de Consummatione saeculi, scribit S. Iohannem cum Henoch & Elia venturum, ac contra Antichristum depugnaturum. S. Hippolytum secuti sunt nuper Ambrosius Catharinus tract. de Gloria Christi consummata, noster Alfonso Salmeron, & propendet Sebast. Barradius in illud Iohan. c. 21. v. 23. *Sic eum volo manere donec veniam.* Hi enim censent, S. Iohannem instar Henoch & Eliae necdum esse mortuum, ideoque habere corpus mortale, praedicaturum contra Antichristum, & ab eo martyrio afficiendum: interim tamen per Dei dispensationem iam vi-

Cornel. in Apocalypsin.

A dere Deum, eoque frui. Probant id Primò, ex ipsomet S. Iohanne Apocal. 10. v. 11. vbi audit ipse à Deo: *Oportet te iterum prophetare Gentibus.* Si iterum, inquit, quando, nisi sub iteratum Christi aduentum? Secundò, ex eius Euangelij c. 21. v. 23. vbi ad Petrum Christus de Iohanne dicit, & statuit: *Sic eum volo manere donec veniam.* Ergo, inquit, manebit Iohannes in vita hac, donec veniat Christus ad iudicium. Tertio, quia corona martyrij Iohanni aequè, ac caeteris Apostolis debetur, & verò promissa est à Christo Matth. 20. v. 23. *Calicem, ait, meum biberis.* At haecenus ipse Martyr non fuit. Fiet ergo ab Antichristo. Denique decet, vt, sicut Iohannes Baptista prauiuit primum Christi aduentum, ita Iohannes Euangelista praecat secundum.

Probans Primò.
Secundò.
Tertio.

B Verum S. Iohannem esse mortuum asseuerant S. Hieron. Euseb. & veteres penè omnes, imò tota Ecclesia, quae S. Iohannis quasi mortui, & in caelo iam cum Christo, instar aliorum Beatorum, gloriose regnantis festum celebrat, eumque publicè in Litaniis aequè ac alios Sanctos, colit & inuocat. Accedit, quòd in Concilio Ephesino iubentur coli reliquiae SS. Martyrum, maximè verò Iohannis Theologi (qui fuit Apostolus & Episcopus Ephesi) ac earumdem reliquiarum meminit Caelestinus Pontifex in epist. ad Concil. Ephesinum. Si reliquiae eius existant, ergo mortuus est.

Resp. negatiuè.

C Quod ergo cap. 10. Apocal. ei dicitur: *Oportet te iterum prophetare Gentibus.* sic intellige, non quòd in fine mundi, sed quòd sequentibus capitibus, 12. 13. 14. aliisque vsque ad finem Apocalypseos Gentibus eum prophetare iubeat, vti de facto iisdem ibi prophetat.

Ad primū.

Illud verò Euangelij eius cap. 21. *Sic eum volo manere,* idem est, ac si diceret: *Si eum volo manere,* vti alij codices legunt. Loquitur enim Christus non assertiuè, sed conditionatè, idque ad reprimendam curiosam S. Petri interrogationem: *Domine, hic autem quid?*

Ad secundū.

Porrò quando, & quomodo S. Iohannes calicem passionis & martyrij biberit, mox dicam.

Ad tertiu.

Propheta ergo dumtaxat est S. Iohannes in

An S. Iohannes venturus sit contra Antichristum.

Affirmat S. Hippolytus & alij.

Prolegomena in Apocalypsin.

Apocalypsi, quam iam quarto docēdo & commentando ordiri, & Deo dante totam explicare destino.

*Sublimitas
Apocal.*

Quanta sit sublimitas & excellentia Apocalypseos præ aliis Scripturis canonicis, ex tribus maxime capitibus æstimari potest.

*Primo, ex
materia.*

Primum est materia. Sicut enim S. Iohannes in Euangelio cæteris tribus Euangelistis antecellit, eò quod ipse penè solus ex professo agat de Christi diuinitate, de Verbi origine, de processione & spiratione Spiritus sancti, de Sanctissima Trinitate, de eiusdem vnitatem, relationibus, attributis, & similibus; vnde ex eo Patres omnia penè argumenta contra Arrianos, Sabellianos, Seruetianos, Macedonianos, &c. æquè ac Scholastici totam materiam de Trinitate, de què Deo trino & vno hauserunt. Ita hinc in Apocalypsi idem ipse Dei in cælesti throno residentis, Agni ab origine mundi occisi, Spiritus S. multoculi & multiuarij maiestatem, angelorum & Beatorum venerationem, prædestinatorum signationem, Martyrum & Virginum gloriam; rursum futuras Ecclesiæ persecutiones, successus & triumphos ad Antichristum & finem vsque mundi, Babylonis excidium, Henoch & Elia prædicationem & martyrium, Gog, Magog & Antichristi interitum, æterna gehennæ supplicia, Ierusalem cælestem gemmis & auro radiantem, viuis coloribus depingit, ac quasi corporata & præsentia oculis spectanda subiicit, vt cælum palmo metiri, vt ait S. Cyrill. præfatione in Euangelium S. Iohannis, ac humana humilitate in altissima prouehi videatur. Quocirca S. Hieron. l. 9. in Isaia sub finem, asserit Apocalypsin *medullata Ecclesiæ Sacramenta contexere*. Ac S. Dionys. Eccles. Hierarch. c. 3. p. 3. *Arcanam illam, inquit, ac mysticam omnino visionem dilecti discipuli, diuinamq; Domini Iesu & altissimam Theologiam, eis qui Deum fieri merentur exponit, eosq; per sacra mysteria sustollit, atque confirmat*. Apocalypsis ergo claudit in se, & Theologiæ medullam, & Christianæ Philosophiæ ac doctrinæ Euangelicæ quasi nucleum & animam. In Apocalypsi igitur iugiter & continuo cum sedente in throno, cum Agno, cum angelis, cum 24. senioribus, cum sanctis quatuor animalibus, cum duodecim millibus signatorum ex qualibet tribu Israel, & turba magna Gætium, cum palmatis Martyribus, cum Virgibus canticum nouum cantantibus, cum muliere amicta stellis duodecim, & lunam pedibus premente, cum Henoch & Elia, cum Sanctis stantibus supra mare vitreum qui vicerunt bestiam, habentibus citharas Dei, & cantantibus canticum Moyse, & canticum Agni, supra fulgura & tonitrua in cælo nouo & terra noua, in Ierusalem noua descendente de cælo versabimur, ibiq; gustabimus lignum vitæ, Agnusq; deducet nos ad vitæ fontes aquarum, vt beatarum mentium beatam vitam hinc præcipiamus & prælibemus, eamq; audiendo & meditando contemplemur, & æmulemur, quam breui Deo duce re ipsa inibimus, vt hisce omnibus fruamur in omnem æternitatem. Hoc est quod de Apocalypsi S. Iohannes ex ore Christi script c. 1. 3. *Beatus qui legit & audit verba prophetia*

huius, & seruat ea que in ea scripta sunt: tempus enim propè est.

Secundum est ordo temporis. Scimus Ecclesiam instar auroræ & solis, successu temporis creuisse ad perfectum diem cognitionis mysteriorum fidei. Hac de causa scriptores hagiographi noui testamenti, longè clariùs, luculentius, distinctius & sublimius de iis scribunt, quam Moses & Prophetæ veteris testamenti. Vltimus est S. Iohannes, vltimus pariter Bibliorum liber est Apocalypsis: vltimam ergo manum & coronidem Euangelis & S. Script. hac Apocalypsi S. Iohannes imposuit. Richard. de S. Victore l. 7. cap. 12. asserit, *librum hunc non solum esse Euangelium, sed in Euangelica doctrina sicut vltimum, ita & summum lacum obtinere, ac in ipso S. Scripturam ad modum arboris cacumen extulisse*. Quocirca aureè S. Chrysoft. præfatione in Euang. S. Iohannis: *Iohannes, ait, sanctissimus, admirationis plenus, arcana redundans sapientia, qui tot tantaq; confert bona, vt qui diligenter & accuratè eum excipiunt & obseruant, non iam homines & terra incolæ habendè sint, sed super omnia huius mundi bona collocentur in angelorum consessu, neque aliter terram quam cælum habitent. Tonitruum enim filius est, Christo dilectissimus, columna omnium qua in orbe sunt Ecclesiarum* (vnde hac de causa longæuissimus inter Apostolos, vsque ad tempora Traiani Ecclesiæ rexit.) *qui cæli clauis habet, qui Christi calicem bibit, & baptisatus aqua ablutus est, qui supra pectus Domini multa cum fiducia recubuit, non fabulas effingit, non personatus incedit, non orchestram supplodit, non aureo ornatur vestimento: sed stola purissima, veritate decore intexta & distincta, amictus progreditur: cui proscenium est vniuersum cælum, theatrum orbis terra, spectatores auditoresq; omnes angeli, & quicumque homines angeli sunt, aut fieri desiderant. Hic dumtaxat eius harmoniam audire possunt. Ipsi enim angeli, Cherubim & Seraphim nobiscum per Iohannis vocem didicerunt qua cognouimus. Hoc enim ait Paulus: Vt innotescat Principatibus & Potestatibus in cælestibus, per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Huic enim Apostolo superna adfuerunt virtutes, eius anima pulchritudinem, sapientiam & speciem virtutis admirantes, per quam ipsum simul hausit Christum. Etenim quasi lyram quamdam pretiosis lapidibus auroq; distinctam, aureo plectro adhibito: sic suam sibi animam exornando effecit, vt per eam magnum & altum spiritus personaret. Hæc & plura S. Chrysoft. sparsim eo loco.*

*Secundum
ordine te
poris.*

Tertium est Auctor. S. Iohannes enim vnus omnium Sanctorum coronas meruit, lauream Doctorum, liliatam Virginum, roseam & purpuream Martyrum. Nimirum ipse Theologus, imò Theologorum vertex, ipse Patriarcha, ipse Propheta, ipse Apostolus, ipse Euangelista, ipse sacerdos, ipse Pontifex, ipse hierarcha, ipse virgo, ipse martyr, ipse angelus, non natura, sed puritate & virtute. Hinc c. 19. 10. videns angelum fulgidum, volensq; eum adorare, audiuit ab eo: *Vide ne feceris, conseruus tuus sum*. Virgo, inquam, per omnem vitam, qua virtute & Isaia & S. Petro, qui coniugati fuere, præcelluit. S. Iohannes enim nec in nuptiis Cana Galilææ, de quibus Iohannis 2. (vti aliqui putarunt) nec alibi vquam vxorem duxit, sed virgo ad Christum

*Tertio, ex
Auctore.*

*S. Iohannes
habet omnes
Sanctorum
titulos.*

Christum accessit, virgo permanfit, vti S. Hieron. August. & passim veteres docent. Illibatum ergo adolescentiæ florem ad Apostolatam vocatus Christo obtulit, oblatumque conseruauit: quocirca tum aliarum virtutum, tum huius præsertim angelicæ puritatis merito, Iohannes vocatur & fuit *discipulus ille quem diligebat Iesus*, qui transfigurationi, & secretioribus omnibus eius arcanis & miraculis interfuit, qui in vltima cœna super pectus Christi recumbens, ex eo omnem sapientiam suxit, nimirum virgo virginem dilexit, virgini virgo sua secreta credidit, atque arcana & abscondita à constitutione mundi reuelauit; quin & moriens virginem matrem, quasi depositum charissimum, virgini commenda- uit. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, tam in hac vita per fidem, quam in altera per sp̄ciem.

S. Iohannes fuit propriè Martyr, quia in feruens oleum coniectus.

Martyrem dixi: quia esto ceruicem Iohannis, æquè ac Pauli, carnifex non amputarit, longum tamen ipse pro Christo martyrium subiit, tum in omni vita; tum cùm à Domitiano Imp. in insulam Patmos relegatus, insulanos omnes ad Christi fidem conuertit; tum denique verè & propriè Martyr exstitit, cùm hîc Romæ ante portam Latinam, eiusdem Domitiani iussu in dolium feruentis olei immiffus, mortis agonem obiit; sed miraculo ex eo illæsus, pulchrior & vegetior egressus, quasi à morte rediuius surrexit. scilicet quia virgo erat, instar trium puerorum in fornace Babylonia, ab igne vri aut lædi non potuit.

Locus & modus martyrij.

Extat hîc Romæ martyrij eius locus facello insignitus, in cuius pariete ipse in dolio olei bullientis depingitur, cum hac inscriptione: *Iohannes Christi Apostolus, Euangelista, Prophetæ & Martyr, è dolio feruentis olei vegetior exiuit. In aterfo verò pariete hæc inscripta visuntur carmina:*

*Martyrij calicem bibit hîc athleta Iohannes,
Principij Verbum cernere qui meruit.
Verberat hunc fuste Proconsul, forfice tondet,
Quem feruens oleum ladere non valuit.
Conditur hîc oleum, dolium, cruor, atque capilli,
Quæ consecrantur inclÿta Romæ tibi.*

Vnde patet S. Iohannem tunc pariter fustigatum fuisse, atque ignominie causa attonsum relegatum fuisse in exilium Patmos. Tam ergo Roma martyriõ S. Iohannis, quam S. Petri & Pauli gloriari potest, & verò debet. *Felix statu Ecclesiæ (Romana) ait Tertull. lib. de Præscript. cap. 36. cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominica adequatur, vbi Paulus Iohannis Baptiste exitu coronatur, vbi Apostolus Iohannes postquam in oleum igneum demissus, nihil passus est, in insulam relegatur. Atque hic est calix, quem Christus ei propinauit dicens: Calicè quidè meum bibetis. Quocirca Tertul. & alij veteres, Iohannem appellant Martyrem. Quin & ipse Iohannes Apocal. i. v. 9. Ego, ait, Iohannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo Iesu; fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testimonium (græcè μαρτύριον) Iesu. Taceo Martyrem fuisse, quando cruci Christi astitit cum Virgine matre tum Christi, tum sua, & do-*

Cornel. in Apocalypsin.

loris gladius eius non corpus, sed animam penetrauit, vt Christi dilecti, imò iam fratris sui, mortem intimè ipsi compatiendo & commoriendo sentiret: videbat enim vitam suam mori in cruce. ibi ergo cum suo Christo mortuus est. Vnde S. Bernardus in Lament. B. Mariæ, loquens de ea & de S. Iohanne, cùm cruci Christi astarent, & illa huic quasi mater filio à Christo commendaretur: *Dum hæc, ait, pauca diceret (Christus) illi duo dilecti lachrymas fundere non cessabant. Tacebant ambo illi martyres, & præ nimio dolore loqui non poterant. Isti duo virginis audiebant Christum voce rauca & semiuiua loquentem, ipsum videbant paulatim morientem. Et mox: Amabant flere, & flebant amare. Amare flebant, quia amare dolebant. Nam gladius mortis Christi, animas vtrorumque transibat. Transibat seuus, seuus perimebat vtrumque.*

Porro inter quatuor illa sancta animalia Cherubim nuncupata, currumque Dei stipantia, quem vidit Ezechiel cap. i. & S. Iohannes Apocal. 4. S. Matthæus homini, Marcus leoni, Lucas boui, S. Iohannes verò aquilæ comparatur. Quia sicut Isaias alios Prophetas, ita S. Iohannes omnes Euangelistas sublimitate superat, & quasi aquila altissimè in cælum se librat. Moses rerum creationem & Pentateuchum à principio mundi & temporis orditur dicens: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Similiter, sed altius, nimirum à principio, non temporis, sed æternitatis, Euangelium orditur Iohannes: *In principio erat Verbum.* Atque quod nota-

S. Iohannes vidit se in cælo specie aquilæ.

tu dignum, æquè ac mirum est, vidit S. Iohannes adhuc viuens quatuor animalia, & seipsum in aquila repræsentatum in cælo empyreo, throno Dei astantem, ac inter beatas mentes Deum assiduè collaudantem: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens.* Quocirca iure S. Iohanni hoc elogium tribuitur (quod nonnulli dant quoque S. Thomæ Aquinati) *Doctorum sanctissimus, & Sanctorum doctissimus.* Nam, vt ait S. Hieron. præfat. in Matthæum: *Iohannes Apostolus & Euangelista, quem Iesus amauit plurimum, qui supra pectus Domini recumbens purissima doctrinarum fluenta potauit; & qui solus de cruce meruit audire: Ecce mater tua.* Amplius dicit S. August. tract. 36. in Iohann. *S. Iohannes Apostolus non immeritò aquilæ comparatus, altius multoq; sublimius aliis tribus (Euangelistis) erexit prædicationem suam, & in eius erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam ceteri tres Euangeliste tamquam cum homine Domino in terra ambulantes, de diuinitate eius pauca dixerunt: istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solum supra terram, & super omnem ambitum aëris & cæli, sed super omnem etiam exercitum angelorum, omnemq; constitutionem inuisibilium potestatum, & peruenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Huic tantæ sublimitati principij etiam cetera congrua predicauit, & de Domini diuinitate quomodo nullus alius est locutus: hoc ructabat quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso Euangelio narratur, quia & in conuiuio supra pectus Domini discumberat. De illo pectore in secreto biberat; sed quod in secreto bibit, in manifesto eructa-*

uit, vt perueniat ad omnes gentes, non solum incarnatione Filij Dei, passio & resurrectio, sed etiam quod erat ante incarnationem vnicus Patri, Verbum Patris, co-æternus generanti, æqualis ei à quo missus est. Merito ergo S. Dionys. Areopag. scribens ad S. Iohannem, eum solum Euangelij indigitat.

Denique S. Iohannes cum fratre Iacobo à Christo nomen excelsum, scilicet Boanerges, id est filij tonitru, accepit. Clangit, ait S. Hieron. epist. 85. ad Euagrium, tuba filij tonitru, quem Iesus amauit plurimum, & de pectore Saluatoris doctrinarum fluentia potauit.

Quocirca, vt idem ait præfatione in Matthæum, Iohannes præuio ieiunio; addit ex Metaphraste Baronius, præuio tonitruis & fulguribus, quasi alter Moles, nouum legis nouæ exordium intonuit: *In principio erat Verbum. Iohannes*, ait S. Epiphanius hæc. 73. *verè tonitru filius, per propriam suam grandiloquentiam, velut ex quibusdam nubibus, à sapientia enigmatibus, piam nobis de Filio intelligentiam persuasit.*

Iohannes ergo fuit filius tonitru, id est tonitru, sicut filius hominis est homo.

Rursum, fuit filius tonitru, id est fulmen: sicut enim ex matris utero ingenti parturitionis nixu & dolore, excluditur & nascitur filius; sic ex vehementi nubium collisione & tonitruo excluditur, & parturiendo quasi procedit fulmen. Sunt ergo duo fulmina belli sacri, non Scipiadae, sed Zebediadae, toto orbe & quouis sæculo, tonantes & fulminantes.

Hoc est quod de quatuor hisce animalibus ait Ezech. cap. 1. 14. *Animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Certè in eius Apocalypsi crebra eius tonitrua & fulmina audiemus. Fulminei huius zeli exemplum, licet immaturum adhuc, dedit Lucæ 9. v. 53. quando Christo, utpote Iudæo, à Samaritanis reiecto, indignans ac Eliæ zelum induens cum fratre Iacobo dixit: *Domine, vis dicimus vt ignis descendat de celo, & consumat illos: Maturius dedit, quando Theodosio pio Imper. contra Eugenium tyrannum dimicatur, oranti, superumque opem imploranti apparuit S. Iohannes cum S. Philippo, vestitus candidis, & equo candido infidens, eique pugnam cum Eugenio edixit, ac suam opem victoriamque promisit; quam & præstitit insigni miraculo, tela hostium in ipsosmet retorquens, vt refert Theodoret. lib. 5. cap. 24. & Nicephorus lib. 12. cap. 39.*

De S. Basilio scribit S. Nazianz. *Oratio eius erat tonitruum, quia vita erat fulmen.* Talem nimirum decet esse Prælatum, talem Doctorem, talem prædicatorem, vt vita fulguret, verbo tonet; plus feriat & penetret exemplo quam præcepto: vita eius sit fulmen, & oratio eius erit tonitru. Talis præ omnibus fuit S. Iohannes Boanerges: oratio eius erat tonitru, quia vita erat fulmen. Quocirca ipse quasi tonitru & fulmen totum orbem percellendo, cum Verbi diuinitate & incarnatione illuminauit, eiusdemque charitate inflammavit. Testis est sermo ille longissimus & vltimus Christi à cæna, spiritu & ardore plenissimus, quem è sinu Christi excepit, ac in omnium aures & mentes effun-

dit Euangelij cap. 13. 14. 15. 16. 17. Testes eius epistolæ: *Deus, inquit, charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Testis tota vita, qua non aliud voce & opere spirauit, quam charitatem Dei & proximi; aded vt iam planè decrepatus, cum in plura non posset vocem verba contexere, per singulas Ecclesiæ collectas non aliud diceret, quam, *Filioli, diligite inuicem.* Ac rogatus à discipulis cur idem hoc iugiter ingeminaret, respondit: *Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit, vt refert S. Hieron. in cap. 6. ad Galatas.* Fuit ergo S. Iohannes Cherub Dei, Benjamin Christi, Deiparæ adoptiuus, Euangelistarum aquila, Apostolorum Mathusalem, sapientiæ abyssus, charitatis incendium, integritatis smaragdus, vitgo sine labe, martyr sine morte, amiantus in igne, sol Ecclesiæ, deliciae fidelium, Theologorum vertex, Prophetarum apex, cæli fulmen, orbis tonitru, & S. Scripturæ, secretarius Verbi æterni, thesaurarius omnium eius opum & charismatum.

Narrat S. Brigida lib. 6. Reuelat. c. 89. se penitente M. Matthia Sueco, commentante in Apocalypsin, petiisse à Christo, quis esset auctor Apocalypsis? ac Iohannem iussu Christi respondisse: *Ego sum Iohannes. cui in cruce assignasti matrem tuam. Tu Domine inspirasti mihi mysteria eius, & ego scripsi ad consolationem futurorum, ne fideles tui propter futuros casus euerterentur.*

Quocirca in tanta eius sublimitate & spiritu, in tanta profunditate Apocalypseo, vt Boanerges hunc nostrum audiamus & hauriantus, faciamus quod fecit S. Gregorius Episcopus Neocæsariens. ob multitudinem miraculorum cognomento Thaumaturgus, vt de eo refert Gregorius Nyssenus in eius vita, qui cum Origenis errabundi fuisset discipulus, factusque Episcopus fluctuaret de doctrina aded tunc controuersa, deque doctrinæ modo ac methodo; per somnium à B. Virgine ad S. Iohannem hunc nostrum deductus fuit, qui ab illa ei datus præceptor, Symbolum ei tradidit, cuius exordium est, *Vnus est Deus*; quod celebrat quinta Synodus œcumenica, & tota Orientalis Ecclesia: quo Symbolo pleraque diuinissima Euangelij & fidei mysteria lympidè explicat & complectitur. Quocirca hoc Symbolo omnem Gregorio nebulam absterfit, omnem fluctuationem sustulit. Idem & nos ab eo identidem efflagitemus; nam & ipse lacrymis ac precibus libri signati, puta Apocalypseo, resignationem & declarationem à Deo impetravit. Hoc est enim quod ipse ait cap. 5. v. 3. *Et nemo poterat neque in celo, neque in terra, &c. aperire librum, & ego slebam multum, &c. & vnus de senioribus dixit mihi: Ne stueris: ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius.*

Ita oranti Chrysostomo (vti habet eius vita) apparuit S. Iohannes cum S. Petro, vestitus albis, & aspectu augustiore quam humano, eumque manu apprehendens dixit: *Sumus à Christo missi ad te: accipe librum, donum tibi missum à Deo. Ego sum Iohannes Apostolus & Euangelista, qui caput in pectus Domini reclinavi. Hoc libro facile intelliges*

S. Iohannes
sol Euan-
gely.

S. Iohannes
tonitru &
fulmen.

Apparuit
Theodosio
Imp.

S. Basilio
oratio erat
tonitru,
quia vita
fulmen.

Elogia S.
Iohannis.

S. Iohannes
docuit S.
Gregorium
Thaumaturgum.

S. Chry-
sostomum.

Intelliges S. Scripturam, ac à me adiutus nullam in ea experire difficultatem; datoque ei osculo pacis in cælum remeavit. Hæc Iohannes ad Iohannem, quem quasi discipulum illuminavit, fecitque Chrysoftomum.

Oratio ad S. Iohannem.

Aspice nos ex alto ô aquila cælestis, illumina tenebras nostras, aciem mentis acue, vt irretortis oculis iubar cælestium sacramentorum in Apocalypsi tua reconditum perspicere & contemplari, aliisque contemplandum proponere valeamus. Da, vt sacramenta hæc efficacia, æquè ac sublimia legentes & ruminantes, excitemur ad illustre obsequium & amorem Dei nostri, vt tecum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente & spiritu diligamus Iesum nostrum; ac vicissim ab eo singulariter diligimur, vt pariter audiamus quod audisti & audis: *Hic est discipulus ille quem diligebat*, diligit, & in æternum diliget, *Iesus*. Impetra nobis, vt amore Iesu amori vano creaturarum omnium, vt pœ vanarum, exilium, instabilem & cadu-

carum, moriamur: quia ipse pro amore veri amoris nostri, rebus omnibus, vitæque suæ morti dignatus est. Impetra, vt forti hoc & æterno amore omnia prospera & aduersa, omnes infirmitates corporis & animæ, omnem inopiam, omnes ærumnas, humiliationes, despectus, persecutiones, labores, aduersitates, mortificationes, angustias, quin & mortem ac martyrium generosè sufferamus, imò alacres & ludibundi superemus & transcendamus: quia *fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus amulatio*. Quod vt facilius obtingat, impetra nobis patrocinium Virginis matris Iesu, imò tuæ, vt ei dicat Pater: *Mulier ecce filius tuus*; & vicissim nobis, *Ecce mater tua*. Ipsa est enim mater amoris nostri; ipsa Iesum in corde nostro pariet. Ipsa est charitatis incendium; ipsa nos charitate ardentem efficiet dilectos, fratres, imò filios sui & nostri Iesu: qui est vita nostra, gaudium nostrum, cor nostrum, iubilus noster, beatitudo nostra, æternitas nostra, Deus noster, amor noster & omnia.

QVÆSTIONES PROOEMIALES in Apocalypsin.

QVÆST. I.
An Apocalypsin
Scriptura
canonica?
Negant aliqui,
quid

QVÆRITVR Primò, de auctoritate & auctore Apocalypseos, an nimirum sit liber canonicus; à quo, & quando scriptus? Dubitarunt olim nonnulli de auctoritate huius libri. Marcionitæ & Alogiani olim, teste Epiphonio libr. 2. hæref. 51. & nostro sæculo Erasmus, Lutherus & Calvinus Apocalypsin à canone sacrae Scripturae reiecerunt. A suis ergo Patriarchis degenerant Augustinus Marloratus & Beza, quos sequuntur moderni Calvinistæ, qui eandem recipiunt, vt ex ea probent Romanam Ecclesiam esse Babylonem, & consequenter Pontificem Romanum esse Antichristum; sed perperam, vt suis locis ostendam. Cæterum ipsi cornicum oculos configunt, atque invidia cæci, vt Pontifici eruant oculum vnum, sibi alterum, imò vtrumque, eruant. Eorum enim seruum arbitrium, ac fidem solam iustificantem planè destruit, ac libertatem arbitrij, æquè ac charitatis, aliarumque virtutum opera & merita, planè astruit Apocalypsis. Dubitarunt & nonnulli Catholici. Nam *Græcorum Ecclesia*, (aliquæ scilicet; nam de pluribus contrarium ostendunt Cardinales Baronius & Bellarminus) *Apocalypsin non suscipiunt*, ait S. Hieronymus epist. 129. ad Dardanum. Vnde & Amphilocheus coæuus S. Basilio in catal. libr. canon. *Apocalypsin, ait, Iohannis aliqui in inferunt, sed longè plurimi adulterinam respiciunt*. Quin & Caius vetus auctor apud Eusebium lib. 3. cap. 28. Apocalypsin attribuit Cherintho hæretico Chiliastæ. Chiliastæ enim, siue Millenarij suum de mille annis, quibus Sanctos post primam resurrectionem

Cornel. in Apocalypsin.

cum Christo in terra regnatos putant, errorem hauserunt ex cap. 20. Apocal. v. 6. Verum Baron. anno Christi 97. ostendit hæreses Cherinti in Apocalypsi confutari.

Dico Primò. Apocalypsis est Scriptura canonica. Est de fide, vt patet ex decreto Concilij Romani sub Damaso, ac Florent. & Trident. Item ex Ancyrano, Carthaginenf. III. & Toletano IV. Rursum ex Innocent. I. epist. 3. ad Exuperium, Gelasio, S. Augustino, de Doctrina Christiana, Cassiodoro, Isidoro, & aliis qui canonem librorum canonicorum pertexunt. Hi enim omnes in eo nominant & collocant Apocalypsin. Quocirca veteres Apocalypsin citant, vt librum canonicum. ita faciunt S. Dionysius, Iustinus, Irenæus, Hippolytus, Clemens Alexandr. Athanasius, Chrysoftomus, Epiphanius, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, & alij quos citat Pererius. Vide inter alios Cardinalem Baronium anno Christi nonagesimo septimo, & Bellarminum lib. 1. de Verbo Dei cap. 19.

Dico Secundò. Licet aliqui, inter quos est Dionysius Alexandr. apud Eusebium lib. 7. 20. Apocalypsin tribuant Iohanni, non Apostolo, sed alteri presbytero & Christi discipulo, qui inde Theologus vocetur; tamen certum est; Apocalypsis auctorem esse Ioannem Apostolum. Huic enim eam attribuunt Patres iam citati. Nec obstat quòd hic liber stylo differat ab Euangelio & epistolis S. Iohannis: quia prorsus alià hic est materia, scilicet prophetia, quæ alio stylo scribenda est, quàm historia vel Ethica. Secundò, non obstat quòd in Græco

Apocalypsis
est Scriptura
canonica.

Auctor Iohannes, non presbyter, sed Apostolus.